Opuscula

ARBOR
IMMORTALIS GLORIÆ;

IN
Perillustri olim & Reverendissimo Domino.

D. CONSTANTINO
IN LUBRANIEC

DAMBSKI,
Scholastico Vladislaviensi, &c.

invidô mortalitatis ferrô

SUCCISA.

Ac
Dum ad Justa Parentalia in Ecclesia S. MI-
CHAELIS Archangeli Cracoviæ,
in socias sibi Cupressi abierint
à Fatorum serie.

PER
M. MARTINUM SZUMLINSKI,
In Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ
Doctorem & Professorem,

dolenti pennâ

VINDICATA.

Anno Domini MDCCX.
Die Mensis

CRACOVIÆ,
TYPIS UNIVERSITATIS.

IN STEMMA
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
DAMBSCIANÆ.



Et ramos truncumq; rapis, floremq;, nitenti
Cum radice, cupis carpere sæva Parens.
O ausum Libitina tuum! succidere tantum
Falx nunquam, Divûm munus, avara potest.
ARBOR enim decerpta viget si flore perenni
E terris; quid non fixa vigebit humo?

PERILLUSTRI & MAGNIFICO DOMINO,

D. ALEXANDRO

IN LUBRANIEC

DAMBSKI,

ENSIFERO INOVLADISLAVIENSI, &c.

Domino Mecænati Amplissimo.

FUnestum oculis spectaculum, immane cordi pondus, Libitina ferox, non ita in Florentissimo GODZIEMBARUM Pineto tragicam scenam peragit, ut, quæ sævô mortalitatis ferrô succisæ, ingenti Patriæ luctu, corruere spectantur ARBORES, majori omnium plausu, etiam è mortuali sarcophago, non surgant immortales, Perillustris & Magnifice Domine. Innatum quippe DAMBSCIANÆ Domui munus, & velut in Magni Tonantis diphtera inaratum legimus privilegium; ut ipsa quoq; heroâ mente, & animo exsuperet fata, quam in PINU Gentilitia, non ulla mortis venena, sed vitæ, in fructibus suis, ferre medicamina Orbis veneratur. Casus illi nullus unquam evenisse creditur, nisi sub alto virtutum & meritorum pondere, eò tamen felicior, quò altiùs, demisso vertici excrescere, imò supremos magnitudine suâ Olimpos vincere, glorioso hoc lapsu sit concessum. Effatum id, stupenti sanè universorum animo.

mô visum tot sæculis in DAMBSCIANIS Manibus; probatur tandem hodie in Perillustri olim & Reverendissimo Domino CONSTANTINO in LUBRANIEC DAMBSKI Scholastico Inovladislaviensi Fratre Tuo Amantissimo. Nemo ARBOREM hanc fatorum turbine eversam existimet, quæ eô stabilior Fraternæ Tuæ sese insinuat dexteræ, quò firmiorem nuper in nativo erga se cordis Tui affectu gerebat stationem. Excludit PINUS hæc, quantumvis mortis gravitate pressa, luctus & lachrymas, gemitus aversat & suspiria, cui ipsa Parentalia, Parentes sunt Immortalis Gloriæ, fatalesq; Cupressi, vernantes flore perpetuo abiêre in Laurus. Quamvis enim brumali gelidæ mortis algore cinctus December, universum cum folijs ARBORI huic auferre conabatur decus, non ita tamen effera illius valere notatur dementia, ut, quod cæca mente intenderit, vesanus efficeret. Nemo quippe novit adversis frigescere, qui totus amore DEI & proximi incallescit. Flos illi perpetuus undiq; sese ingerit, securior tamen sub Tuo Nomine posthumis virescet sæculis, qui totus Tuus erat. Et licèt nunc Fatorum esse putatur, fatale tamen in illo nil reperitur; qui post funera quoq; in ARBOREM gloriæ excrevit immortalem. Extende itaq; victoriosam dexteram ad ARBOREM hanc, etiam inter sepulchrales Umbras Illustrissimam; & more Triumphatoris GODZIEMBÆ è terrarum extrahe ergastulo, à Fatorumq; injuria vindica Hector Fortissime; sed nè quidem eandem ad pagellam contractam ab Illustribus Tuis exclude postibus, quam à Parcarum vindicatam serie in Tuæ sinu plantat gratiæ.

Perillustri & Magnifico Nomini Tuo.

Cliens Devinctissimus.

M. MARTINUS SZUMLINSKI,
Phil: Doctor.

ARBOR
IMMORTALIS GLORIÆ.

Huc magnus altarum ſtupor mentium!
quibus vetus ſtupenda deſpicere; novum mirari.
Oculos grande requirit ſpectaculum, duriori aures exaſperãs aurâ
Facti immanitas invitos rapit animos
perfidæ nunquam fidem daturos rei,
niſi & illi vidiſſent, & hi ſenſiſſent dolorem.
Horrenda funerum parens;
amarorum non amorum bajula.

Quæ
alienis imprægnata necibûs, ſuperbo faſtu Orbem occupat,
immunda mundi regnatrix & Domina.

Cujus
partus non alius, quàm luctus, & lachrymæ.
nati, pallor & macies, caſus & ruina filij;

Cui
Et ſi torus inter ſepulchrales umbras legitimus;
Funeſtos tamen habere thalamos,
etiam ad ſereniſſima Regum ſolia, nullo ſole negatur.

Quam
Nemo unquam effuſo polluit cruore, imò ab ipſo ſanguine,
exſangues derivare pallores, clausîs quoq; oculîs conſpexit.

A qua
Verius Delphico tripode Oraculũm,
Cui naſci contigit, mori neceſſe.
Vivere non dulce eſt: ſi è vivis cedere amarum.
Horrenda inquam funerum parens:
Falcis non Sceptri domina,
hic non leves modò ſtipulas,
graviſſimas quoq; impetit ARBORES,
eò violentiori impetu, quò fortiùs ſtetiſſe cognoverat.
Terreus ſævam Orbis non terret Libitinam:
infractus Caucaſus, fati non frangit violentiam:
Elyſij campi nativâ amænitate ſuâ, aut profuſis Cloridos opibûs

mortis nèquaquam, demulcent ferociam.
Heu fallax Parcarum ethymon!
ipso mentiuntur nomine, quia pulchro,
Parcere notantur, dum minimè parcunt;
blanda finguntur instaurare hilaria,
cùm veriùs luctigera in theatro Orbis peragant feralia.
Ferox & efferum Numen
si tantùm Numinis donandum nomine
cui pro malatia, sine modo regnat malitia.
Illius ferociam Hyperborea Arctos, minimè arctat
immanitatem glaciale inertis brumæ pondus,
ceu ferreâ Plutonis compede
gelidis non coërcet manibus.
Thessala Tempe furentem non recreant animum,
cui totum solatium, luctus proximi & lachrymæ.
Nefandos quis ausus non judicet?
Infelici subjectos felicitati campos postquam calcaverit
infamis regina mortalium,
per cædes & neces famam suam improba quærens
Dodoneum nemus æquo pulsare pede, atrox intentat Libitina.
O Sacrilegium!
Dijs sacratam mors improba sylvam profanat!
corruere cogit, ubi fana Deorum steterant.
ô scelus! ô impudentiam!
Neminem unquam effugit fati necessitas.
Seriùs aut citiùs eundem omnes collimamus ad scopum.
non omnes tamen æqualiter.
Quæris inæqualitatem?
Adverte florētissimum GODZIEMBARVM Pinetum; & vidisti.
Funestus ab æthere rumor, non modò stygias ripas,
Istuleas quoque devenit ad undas,
Succidite ARBOREM
In Perillustri olim & Reverendissimo Domino.
D. CONSTANTINO
IN LUBRANIEC
D Ą M B S K I,
Scholastico Vladislaviensi, &c.
Eheu!

prope-

propera nimiùm, ast minimùm prospera Ministrâ,
impiam securim pientissimæ admovit ARBORI,
& succidit.
Effrons Fati potentia,
putavit fronte primâ victrices sibi necti adoreas;
quam nondum vicisse judicavit eventus.
ARBOR enim hæc, etiam inter mortales cupressos, immortalis;
inter sepulchrales umbras, umbrarum expers;
famam suam ad tumbas plantata, clariori illustrior tubâ buccinat.
Errasti sanè Libitina demens!
Licet hic vim vi repellere, ubi
Generosos animos ipsa juvat adversitas.
Ad primum cruentæ falcis ictum Illustr: hæc ARBOR non cōcidit
quæ ipsis casibûs stare didicit,
millenas repete plagas, vocalior fit, quinimo cæsa triumphat.
Fugitiva Daphne deposuisset Laurum,
si PINVM hanc induisse liceret.
Nullum enim inter eas discrimen;
præterquam, quod illa Apollini sacra fuerit,
hæc Illustrissimæ DAMBSCIORVM Domui debeatur.
Nimirùm
Laurûs maxima gloria, flos æternus,
ita se in DAMBSCIANAM transfudit ARBOREM,
ut decus suum nulla Fatorum carpat invidia,
nulla pessumdet adversitas,
cui ipsæ velut numismati, *dant pretium plagæ*
& multo, major fit plausus, ab ictu.
Vivit itaq; ARBOR hæc Illustrissima etiam post funera
Inconstans fortunæ constantia nil contra valuit
CONSTANTINUM,
eodem flore inter atra mortis vernat involucra,
quo nuper in amicis vigebat pectoribus;
cui nihil ad vernandum defuit:
si ultrò vigor illi undiq; sese ingerit.
Equidem
Magnus à magnis virtutibus viror
æternus Deorum partus, unicus Cælorum hæres,
immortalis dos mortalium
appretiatæ mentis pretium, vita & salus gloriæ,
influit huc exundanti sanè non alveô, verùm Oceanô.

non per occultos tantùm ut alijs meatus,
ſed per oculata rectè factorum monumenta.
A primis quippe incunabulis innumeros virtutum cuneos
imò ipſam à flore maturitatem duxit hæc ARBOR.
Adhuc in faſcijs erat;
& jam ad faſces proceritatem ſuam extendebat.
Heu invida Fata!
quòd in medio illorum poſitam ſucciderint.
In puſione nihil puſillum advertimus;
Magnorum, majora ſemper;
quàm pro captu corporis indicia dabat.
qualis futurus Vir erat, in puello viſus;
quantus Leo, ex ungue noſcebatur.
Igitur, ut major ab eruditione quoq; aſſurgat ſibi vigor
excolendum ſcientiis doctæ Palladi ſubmiſerat verticem.
Fallor!
Culturâ altum hoc non indigebat ingenium,
quod transfusâ cum Illuſtriſſ: majorum ſanguine dives ſapientiâ,
potiùs ad excolendam Palladem in arenam deſcendit literariam;
in qua ita glorioſiſſimè contra hoſtem ignorantiam,
Heros certavit fortiſſimus;
ut invidiæ temporum reputaſſet Minerva,
quòd è Iovis potiùs, & non de hoc naſceretur cerebro:
nullô pactô Iove minori.
Habuit hic, quo cum Muſis Apollo delectetur.
Sumpſit, velut è vireto Eloquentiæ, quo floreat Hortenſius
centenos hinc educturus Mercurios.
Stagyrita, non magis ex Porphyriana, quàm ex hac ARBORE
quid præſit, & quid ſubjaceat, evaſit eruditior.
Sacra Themis, non tam in ſua bilance,
quàm in hac requievit Pinu,
pari vultu Iuſtinianum reſpicens, & Canones:
nè quid ad florem ARBORI perpetuum defuiſſet.
Quia verò oculo mentis cæleſte vidit ingenium,
non eſſe fortem Arborem, niſi quam frequens ventus incurſat,
ſuaſit conſtantem PINVM Martio furori exponere.
Inſtabat tunc Patriæ,
non major ab Aquilone quàm ab Euro procella:
ubi ſub Bizantinæ Cynthiæ Vienna gemens pondere
cingebatur Coronâ, ſed obſidionali

Magna

Magna Polonorum Aquila,
quæ irretortâ pupillâ solem alibi intueri soluit,
cetra Othomanicæ Lunæ cornua, aliter nequivit prospexisse;
nisi DAMBSCIANA PINVS ramos suos opponeret
IN VLADISLAO,
Lechæo Marti validiores suppetias.
IN CONSTANTINO,
Statura, de victo hoste trophæa appromittens,
Castor & Pollux,
in sanguineo mari nutanti Reipublicæ Classi,
fortibusq; navigatoribus, gladijs pro remis utentibus,
adeò dextrè affulgebant,
ut nullus à fortunatis triumphi insulis deviaret.
Proh dolor!
Crudele Fatum gemina rumpit sidera,
VLADISLAUM Cælo,
ingenti non modò DAMBSCIANÆ Familiæ,
sed totius Regni cum luctu & dolore
CONSTANTINUM
summo cum plausu Patriæ, Polono reddit polo.
divisis tamen indivisa gloria,
eadem laurus inter fatales Cupressos, ac inter vitales Cedros,
sudantia utriq; vinxit tempora.
Sed
Depone clavam, si vis nè tremat penna
Militia Tibi sine gladio aperitur,
Cruore profanari barbarico non decet dexteram,
quæ tota Sacris est devota.
Mutat itaq; ARBOR Illustrissima statum, sed non genus,
& qui nuper Martis fuerat;
Mortis Victoris CHRISTI miles efficitur.
Excipit plaudente polo
tantum Deorum munus Vladislaviensis Cathedra,
nihil sibi defuisse arbitrata,
præter CONSTANTINUM,
Scholastici dignatur titulô, non absq; mysterio,
Scholam enim omnigenæ eruditionis vidit in illo;
Supra tamen omnia virtutibûs & meritîs eminebat.
Sub illius cura potuit docere Aristoteles,

& fecisset suam Scholam Academum,
nec sylva desideranda illi erat;
una ARBOR DAMBSCIA sacrum pinxit lucum.
& certè in hoc luco, haberent lucem ingenia.
Nec trunci fierent homines, licet sub ARBORE discerent.
Suppeditaret folia vertex laureatus,
& libri essent, non tantùm ex Arbore Ægyptia,
verùm & è DAMBSCIA.
Verbo: ex hac una ARBORE tota potuit erui Academia.
Omnia fingi ingenia, cuncta exscindi acumina.
Nec oracula abessent,
si sic sollicitasset aliquis ter geminam PINVM,
ut Deorum olim Tripodem.
E Dodona hæc ARBOS in Poloniam translata,
tot edidit oracula, quot salutaria effudit consilia.
Audivit hæc JOANNES III.
& paruit oraculis vox JOANNES,
usurpavit AUGUSTUS II.
& auxit ARBORI gloriam,
ab hac auctus Regio diademate.
Duxit secum in Saxoniam,
nè tantùm uni solo nota foret PINVS.
Inter ridentes lepores Catonem gerebat
præter amænitatem & gravitatem animi nil vidisses.
Amor Principum, Episcoporum deliciæ, Amicorum Corona.
ita se gessit, ut ubiq; viror & vigor suus perennet.
Adauget florem perpetuum ARBORI huic,
Illustrissimus Majorum suorum Sanguis;
verè ros Cælestis: quia Heroum:
quo DAMBSCIORVM suffusa PINVS virore Lauros,
Cedros exsuperat immortalitate.
Nimirùm
Æternum ARBORI huic florem in terræ ergastulo nemo negat,
quam, contra naturam, extra glebam extractam,
heroâ GODZIĘMBÆ dexterâ,
fugatîs hostium turmîs, in victrices palmas excrescere non ignorat.
Docuit Hector Fortissimus,
quantus viror à sanguine Nepotum ARBORI huic futurꝰ fuerit,
quàm prius in Martio Campo hostili cruore irrigavit,
ante-

antequam in Illustrissimam Domum transtulerit.
Spatiosa sanè in immensum ARBOR,
quæ tam longè, latèq; extendit ramos suos.
ut nulla Regni supersit curulis, in qua non vigeat florentissima.
Pontificia cum Pedo Tiara, Ducales cum clava Mitræ,
aliaq; suprema Regni subsellia hìc hæreditant.
Summo sibi honor dishonori duceret, si è Domo hac elabatur.
Ingenti cum stupore veneramur hactenus inextinctam gloriam,
Illustrissimi & Reverendissimi Domini,
D. MARTINI LUBRANSKI,
Episcopi Posnaniensis & Vladislaviensis,
quem si vetus Roma vidisset;
Lucullos aut Trajanos jactare desineret;
hìc enim portum communis fortunæ invenisset.
De liberalitate illius tacere coguntur Oratorum ingenia,
quia laudibus suis imparia;
loquuntur tamen ipsa marmora, tot linguîs;
quot, in quinquaginta septem Ecclesijs à se fundatis,
quot in plurimis Monasterijs & Xenodochijs,
non sine proventibus suis erectis emicuêre beneficia.
Grave Sepulchri Marmor non ita premit
Illustrissimos olim & Reverendissimos Dominos,
DD. LUPUM GODZIEMBA, ANDREAM LASCARIUM, MARTINUM & GREGORIUM
LUBRANSCIOS,
Posnanienses, Plocenses, & Vladislavienses Antistites;
ut in florem æterni non assurgant viroris,
idem zelus illis pro Domo DEI & Patria,
eadem sanctimonia & pietas,
eadem quoq; immortalis gloriæ Corona,
JOANNEM LUBRANSKI,
vel ipsa Philosophica Laurea,
in coronamentum Posnaniensis INFULÆ
Sacra redimiens tempora,
virenti immoriturae æternitatis flore beat.
Apollo hic noster,
quò magis Gentilitia sua PINUS vireret,
extensurus Studij Academici amplitudinem,
Laurigeras Posnam Musas transtulit;

non tam Castaliis fontibus,
quàm murmurantibus rapidi Vartæ fluentis clariores.
VINCENTIUS à LUBRANIEC,
Palatinus Posnaniensis,
ipso quoq; Nomine fatorum vincendo furores,
non sui tantùm sanguinem.
In Regni scilicet PROCANCELLARIO,
& CASTELLANO Brestensi Cujaviensi.
totam quoq; Pater optimus,
in Filios evocat Rempublicam Polonam,
quam ordinare meliùs non potuit,
nisi, cùm illam, jure Ordinationis, plurimarum Villarum
hæredem evinxisset,
STANISLAUS & ADAMUS LUBRANSCIJ,
Slonimenses, Becenses, Lancicienses, Conarienses
CASTELLANI,
Poloni Hectores,
toties ARBOREM proprio sanguine consperserant,
ut in Posthumis suis perpetuò pullularet.
Tantus vigor à Majoribus DAMBSCIANÆ ARBORI
Mutata nomina, immutata Domus
quia Divûm omnes de sanguine natos, veneramur.
Verùm
Absorbet immensum laudum suarum Oceanum,
Celsissimus olim Princeps,
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. STANISLAUS DAMBSKI,
post augustam Honorum gradationem,
à Luceoriensi, Płocensi, & Vladislaviensi Tiara.
EPISCOPUS CRACOVIENSIS,
Dux Severiæ.
Magnus ubiq; Princeps & Senator,
ut vernantior sæculis innotesceret PINVS,
illius umbrâ inquietæ Reipublicæ æstus extinxit
in Electorali Varsaviæ Campo.
Serenissimũ AVGVSTVM II. Regem Poloniarum Invictissimum
nominando & coronando.
Ecquid non in auge floris perpetui Arbor maneat?
quæ etiam supra Regum vertices se attollit.

Proh

Proh dolor!
Invidebat tantum Principem Poloniæ cælum, & abstulit!
metuebat fortassis, nè Martios ignes,
quos tum in ruinam Regni parabat,
diffusâ ARBORIS umbrâ extingueret,
extinxisset! si stetisset.
Cimmeriis Fatorum non premitur noctibûs,
Perillustris olim & Reverendissimus Dominus.
D. LUCAS DAMBSKI,
Canonicus Cathedralis Cracoviensis,
qui immortalitatem famæ suæ,
non tantùm in Kruszynensi Ecclesia,
aut Capella ad Ædes S. MICHAELIS Cracoviæ
Sanctâ fundatione incidit:
etiam in Ternis Peraugusti Capituli Cracoviensis
Coronis vigor suus renidet,
quibus velut SKARBEK MAXIMILIANO
aurum auro addidit,
dum centum millia florenorum inscripsit.
Perillustris olim & Magnificus Dominus,
D. JOANNES DAMBSKI,
Castellanus Voynicensis,
Palatinatûs Cracoviensis Decus summum,
plus illi jura Regni fuêre, quàm favor Civium,
majus propriæ vitæ, quàm libertatis Patriæ dispendium,
mori potiùs elegit liber,
quàm vel minimæ de fama sua notæ servus vivere.
O vigorem ARBORIS immortalem!
ab ipsis fluentem manibus.
quantus in præsentibus? si tantus cumulatur in absentibus?
Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,
D. SIGISMUNDUS DAMBSKI,
Palatinus Brestensis, Cujaviensis,
Inovladislaviensis, Dyboviensis, &c. CAPITANEUS,
quem si in toga videamus, Athlantem Patriæ;
si in sago, Achillem ubiq; gloriosissimum veneramur.
Purpuram illi non tam de fulvo Phryxi vellere pretiosus murex,
quàm devictorum cruor & pudor hostium depinxit,
eò pulchriori gloriâ, quò deformiori suâ ignominiâ,

Ades Alcides Fortissime,
Illustrissime ac Magnifice Domine,
D. ADALBERTE DAMBSKI,
Inovladislaviensis CAPITANEE,
MARESCHALCE Curiæ Regni Meritissime.
Magna Magni Parentis proles,
vera Virtutis Paternæ effigies.
Tibi jam in caduceos excrevit PINVS Gentilitia,
Tibi majores Fasces virtus parat & Sapientia
Felices honores, qui hâc eveniunt viâ.
At de Te quid dicam,
Perillustris ac Magnifice Domine!
D. ALEXANDER in LUBRANIEC DAMBSKI,
ENSIFER Inovladislaviensis.
Terrent ipsa Nomina, quia magna
Minimè PHILIPPO cedit,
Illustrissimi Parentis Tui maxima gloria:
illum jactat Macedonia, hunc veneratur Sarmatia,
utrosq; immorituros vivere.
IN ALEXANDRO,
de Te nemo unquam sine peccato dixit;
peccare enim cogimur in laudibus Tuis, quia illis impares.
Cum Nomine Tibi fortitudo Macedonis indita;
qua famæ Tuæ universum Orbem subjugasti.
Mars Polone!
contra cujus scitam prudentiam,
nihil furores valuêre Scytharum.
A splendore virtutis Tuæ,
Othomanica Cynthia Ecclypsim suam toties erubuit;
rubore à proprio cruore derivato.
Ad Chocimum gloriæ Tuæ viva stetêre monumenta,
ipso casu hostium.
JOANNIS III. Poloniarum Regis Potentissimi,
Athleta Fidissime.
qui velut alter Hercules, victorias semper & trophæa erigebas.
Triumphales palmæ, nunquam à forti exulabant dextera.
Atlas labantis Patriæ etiam in Filijs.
Magnificis ac Generosis Dominis,
STANILAO & CASIMIRO,
quos

quos Martius furor minimè frangit, quia fortes.
Generosam indolem, à Patre non degenerem,
contra bellicos opponunt æstus;
ut sic nobiliùs seris fama sua splendescat sæculis.
In illorum primo instare salutem Patriæ.
In altero miros casus hostibus quis non speret,
nil enim præter hoc spirat uterq;,
ANDREAS & ANTONIUS,
Magnæ Spei Filij.
Non modò Tibi Patri, sed Patriæ quoq; crescunt in Coronas;
eò pulchriùs, quò sapientiùs non rudi nemore,
sed Alma ARBORES has stetisse voluisti Academo.
Sed nedum hic vigor stetit ARBORI.
Procerosa valde PINUS,
quæ planè omnes in suum virorem evocat Familias.
Buccinant hic famam suam surdo quoq; audiendam Garammi.
Illustrissimorum & Excellentissimorum Principum,
RADIVILIORUM TUBÆ,
securè ad fortunatas immortalitatis Insulas devehunt,
OPALINIORUM NAVES,
DZIALYNIORUM SAGITTÆ cum DEMBINSCIJS,
PRZYJEMSCIJS,
imminentia fortiter repellunt pericula.
Victoriosæ POTOCCIORUM CRUCES
de Fatis ipsis trophæa erigunt.
TARNOVIORUM VOMER non Patrijs tantùm,
sed etiam exteris, Nomen Magnum inarat agris.
LUBIENSCIORUM CAPUT
ad summa invitat Capitolia.
ZYDOWSCIORUM ROSÆ
immortales gloriæ spargunt odores,
in quibus mella stillant apibus, mors scarabæis.
MORSCIORUM Ascia nociva resecat.
WĘGLINSCIORUM Castellanorum Sãdomirien.
PANIEWSCIORUM Ducum Hungariæ,
& Poloniæ Supremorum,
sexcentorumq; aliorum immensa Herois & gloria;
etiam in mortuali marmore immortalitatem incidit.
Ergo

tantis plenam vigoribus ARBOREM,
nemo unquam mori existimet.
Immortalis esse debet, quæ etiam de morte triumphat,
major illi ab umbris splendor; quæ abijt, non obijt.
Vitam, pro meliori mutavit, non amisit.
Submisit colla securi Libitinæ, ut securiùs vigeat,
descendit ad imas terræ cavernas, ut eò altiùs assurgeret,
O altam ARBOREM!
cujus radix terrâ, vertex plaudente polo capitur.
Tuæ Celsitudini
Illustrissime & Reverendissime Domine,
D. CASIMIRE
à LUBNA
ŁUBIENSKI,
Episcope Chelmensis, Abbas Czerviensis, Episcopatûs Crac: ac Ducatus Sever: Sede vacante Generalis
ADMINISTRATOR
pro Pontificio amore & favore,
demissas ad usq; sepulchrale marmor incidit gratias,
Cùm sis CASIMIRUS.
Casus omnis Te fugiat, Fortuna quærat,
Honor supremus inveniat,
Vavellus Pastorem capiat expectatissimum.
DEMBINSCIANÆ & ŁUCZKIEVIANÆ Pietati
pro cura & solicitudine Executoriali,
fausti in Vavello splendescant Soles,
Coronisq; superaddantur Tiaræ.
At verò Tibi
Perillustris & Magnifice Domine,
D. ALEXANDER in LUBRANIEC DAMBSKI,
ENSIFER Inovladislaviensis,
fraterni de sui recessu in lenimen doloris,
corpus in hac tumba, affectum in corde Tuo deponit.
Mortuum ne credat aliquis; hic vivet superstes:
Te diu incolumi
In CONSTANTINO
constanti vigebit flore,
ARBOR GLORIÆ IMMORTALIS.

